DE SIMULATORE REGE SEBASTIANO POEMATION OLIM IUUENILI ÆTATE CONFLATUM A...

Estevão Rodrigues Castro, Francisco : de Castro



DE SIMVLATO REGE SEBASTIANO POEMATION

Olim iuuenili ætate conflatum.

A STEPHANO RODERICO Castrensi Lusitano, Medico, ac Philosopho clarissimo:

In Pisana Academia Lect. supraordinario, & Serenis. Magni Ducis Etruriæ Medico.

Modò in lucem editum

A FRANCISCO DE CASTRO eius Filio.



Florentiæ Typis Nouis Amatoris Massæ, & Soc. 1638.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. DOMINO

ANTONIO CVRINO

Serenifs. M. Ducis Ætruriæ

Olim in Signatura Gratiæ, & Iuftitiæ Confiliario, nunc verò in vniuerfo Magno Ducatu Florentino Fifcalis Cameræ Auditori Generali.

Francifcus Stephani Filius D. & C.



TEPHANVS Rodericus Caftrenfis *fuperiore anno feptuagefimum octauum ipfe enumerans, mortalitati debitum foluit; vnde quod dominationi tuæ Illuftrifs. debuerat, foluere minimè potuit. Grauiores ætatis illius anni, tuæ feruitutis nomine gloriantur, iuueniles erant addendi, vt fe totum tibi vixiffe teftaretur. Ex amplo igitur elucubrationum illius patrimonio parentis optimi debitum foluam; fed magno profectò fœnore illud foluam. Excipies enim ea, qua erga ipfum femper vfus es humanitate, Poema hoc, pubefcentis adhuc eius ingenij partum, & primæuæ ætatis illius, Mufarum ftudijs addictæ, fimulacrum, fed tuo nomine, tuoque patrocinio immortalitatem illi rependes. Vale.*

Lectori Salutem.

SEria hucusque excepisti Medicę facultatis monimenta. Quidni Poetices ornamenta tuus relinquet Apollo? Poema hoc, paruum quidem, sed pręclarum eius inter Musarum vireta florentis ingenij argumentum tibi erit. Cui argumentum dedit scelestissimus quidam, qui ementita nominis magnitudine, propriæ vilitati consulere meditatus, se magnum illum Lusitanię Regem Sebastianum venditare præsumpsit. Tanto facinori aggrediendo ansam præbuit, & luctuosa illa Lusitanorum vna cum suo Rege apud Africanos clades, & similia prorsus cum Regio adolescentis vultu, aspectus illius lineamenta. His fortunę simul, & naturę innixus pręsidijs, illud sibi, propè dixerim, Regnum subiecit, cuius armis innumera poenè noui orbis Regna cessere. Quod absolutum omnino, integrumq; Poema non sit, non meam, non Auctoris incuriam accuses, sed veri, primiquè exemplaris defectum, quod cum Alberto Serenis. Austriæ Archiduci S. R. E Purpurato olim ab ipso Auctori dono datum fuerit, penès me non nisi aliud mutilatum, imperfectumquè remansit.



Ad Illustrissimum Virum, & nostræ ætatis vindicem integerrimum

IACOBVM A FONSECA.

FONS sacer ò, cuius fluit è penetralibus vnda
Regi grata, bonis suauis, amara reis.
Qui sanctò, dum magna moues miracula potu,
Humano sæuas induis ore feras:
Et quos Circæis mens praua potentior herbis
Indomita Tigres reddidit arte, domas.
Rex fictus, nec homo, nec Rex, sed tristis imago
Vulpis erat, fontem deuius haurit, homo est.
Ergo viue diu fons magnò è fonte perennis,
Tàm dilecte bonis, quàm metuende reis.
Viue diu, & si quid possunt mea carmina, viues,
Sint tua facta mihi, quod mea Musa tibi.

Stephani de Castro Lusitani Olyssipponensis.

AD EVNDEM.

INfandum molitur opus, diademate regem
Cingere se dignum perfida Turba parat.
Excussit ceruice iugum plebs cæca furore,
Inuitis indignum perficit ira nefas.
Nil curat Cæli Numen, Nomenque Philippi,
Nil timet Augusti seditiosa cohors.
Lysiadum exitium populis, prædamque per vrbes
Cogitat, & cœptis gens male suada fauet.

Consilio at Fousfeca vigens Iesuitum obruis agmen,
Celatumq; diù detegis arte scelus.
Criminis auctores fundis, punisq; Tyrannum,
Dudersumquè vno tempore munus obis.
(Te Duce) turba ruit, pendet (te Iudice) ligno,
Victori Regi colla superba piamis.
Virtutem sic Marte refers, sic iura tueris,
Das pacem vt fidis, suppliciumq; reis.

Ludouici Franci Lusit.

AD EVNDEM.

SIC ait armatum spectans Bellona Iacobum,
Aut Mars, aut maior Marte Iacobus hic est.

AD EVNDEM.

ARmatum nuper spectans Bellona Iacobum,
Est, ait, aligero Mars generosus equo.
Hunc contrà aspiciens Pallas facunda togatum,
Est Athlantaâ Pleiade natus, ait.
Non Mauors, non Mercurius: simul vnus vtrumquè:
Artibus hunc, illum dexteritate refert.
Nec satis hoc: sublime Deo decus addit vtrique
Mercurio vires, corda Gradiue tibi.

Incerti Auctoris.

DEL SIG. ALESSANDRO ADIMARI
Gentil'huomo Fiorentino, e gentilissimo Litterato.

In lode del Sig. Dottore STEFANO DE CASTRO con l'occasione delle sue Opere, vna circa la sua partenza dalla Patria, l'altra sopra il finto Rè Sebastiano.



Narra a Stefano pur gli alti pensieri
Del Portughese tuo gran Sebastiano,
L'indegna Morte, il finto Re villano,
Il meccanico ardir gli atti non veri.

Ch'io lasciato il trattar d'armi e guerrieri,
Vò dir, che dal tuo suol gisti lontano,
Per ch'eri vn nuouo Sol per far l'huom sano
Eletto a camminar sogni e sentieri.

Non fermossi Esculapio a' patri lari;
Virtù comunicabile è quel bene,
Che conuien si dilati, e che s'impari:

A quanti hai tu portato hore serene?
E s'hor tramonti, e più non ci rischiari,
Dietro al Giorno la Notte anco se 'n viene.



Videat Adm. R. D. Benedictus de Florettis an in hoc Poemate contineatur quod Pietati Christianæ, bonisuè moribus aduersum, & referat. D. die 15. Iunij 1638.
Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Huiusmodi Poemation, nostræ conscientiæ, ac examini à Perillustri, & Reuerendissimo Vicario demandatum, sedulò expendi. Nullus autem sensus, qui ab Euangelica semita aberret, atq; à Christiana institutione abhorreat, oculis nostris occurrit. Die 16. Iun. 1638.
Benedictus Florettus m. p.

Attenta præsenti relatione imprimatur Poema seruatis seruandis. D. die 16. Iunij 1638.
Vincentius Rabatta Vic. Gen. Flor.

Imprimatur hac die prima Iulij 1638.
F. Io. de Fanano Inquis. Gen. Florentiæ, &c.

Alessandro Vettori Senatore Auditore di S. A.

PRÆFATIO.

SOlertiſſimus Græcorum Vlyſſes apud Plutarchum Cheroneum in dialogo illo, qui vtrum brutis quoque inſit ratio inſcribitur, Siciliam Cyclopum patriam, quam velis, remiſq; fugerat, fructuum vbertate, florumq; amœnitate commendatiſſimam eſſe, non inficiatur: At verò, Ithacam patriam ſuam ſterilem admodùm, & in aſpetrimis ſaxis tanquam nidulum affixam, relicta Calypſus immortalitate, & Circes pollicitationibus poſthabitis ardenter amat, vehementiùs deſiderat, quærit laborioſiſſimè. Illum verò Ouidius non imprudentiæ arguit, ſed ob mirum erga patriam amorem commendat:

Non (inquit) *dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat*
Fumum de patrijs poſſe videre focis:
Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Tantus igitur eſt patriæ amor, tanta in hoc amore ſuauitas, vt nulla cognatio patria propinquior ſit habita. Vnde natura rerum omnium magiſtra, & parens in alijs prouida, in hoc prouidentiſſima non ea ſolùm appetitione, qua cœteræ res communia bona, ſed nobiliori adhuc patriæ incolumitatem tueri iuſſit, ac defendere. Atque ideò quamuis omnia, dum communi totius vniuerſi conſeruationi conſulunt naturæ legibus coacta, peculiares vtilitates non curent, hoc tamen vnum patriæ amori condonandum eſt, vt qui Reipub. conſulit, & ſibi ipſi conſulere non deſinat; imò cum quicquid bonus ciues poſſidet à patria deriuatum poſſideat, peculiare ipſius commodum in patriæ conſeruatione tanquam in ærario ſeruet, ſeruatumquè cuſtodiat. Quapropter ſempiterni ſtellarum orbes proprium bonum, hoc eſt, propriam quietem, amittunt, vt

con-

continuis motibus agitati suis influxibus vniuersæ mundi machinæ inseruiant. Nec minùs (cum necesse sit mundum hunc sublunarem supernis lationibus esse cōtiguum) ad replendum inane si quod fuerit, statutis locis cedunt elementa. Viperæ prætereà, & alia animantia, quę matris interitu peculiare periculum nascentes discunt, concipientes præuident, vehementi propagandæ sobolis desiderio, fœtum per mortes agunt, & ruptis visceribus peruiā proli lucē faciunt. Nec aliud expetunt semina dum in terra submersa in suamet putrefactione sibi quodammodò complacent, quàm vt inde in vniuersi commodum plantę, frutices, herbæquè fertiliter pullulent, cum nihil sit à natura productum, quin priùs aliud fuerit sublatum. Quæ cum ita sint & omnia, dum totius vniuersi, quod magnam Rempub. veteres appellabant, vtilitati consulunt, propria bona relinquant, nihil magis patriæ amorem diuinum reddit, quàm in defendenda patria vitam, immortalitatemquè sitam esse. Vnde cum nulla mors dulcis esse possit, Horatius, cum mortem pro patria dulcem vocet, vitam, non mortem voluit appellari. Hinc statuæ auro, argentoquè in bonorum ciuium laudem fabricatæ, hinc coronæ murales ijs, qui muros defenderent inuentę, & quod magis mirandum est Codrum illum verè patriæ defensorem diuinis honoribus afficiendum esse sibi veteres persuadebant. Nos verò, quibus & vera Religio, & religiosa veritas diuina humanis aptari prohibet, id saltem, quod magis diuinitati accedit, patrię amatoribus tribuemus, nihil autem (si Philosopho credimus) magis cęleste, nihil magis diuinum immortalitate illa, quam res omnes, natura duce appetunt, inueniri potest. Non igitur abs re factum esse puto, quoniam, vt Iurisconsulti volunt, interest patrię quamplurimos habere defensores, vt domicilia, & templa, famæ, immortalitatiq; erigantur, idest monumenta, quibus pa-

trię

triæ defensorum nomen posteris immortale relinquatur: Nam quæ statua auro, argentoq; cęlata? quæ corona, vel ex durissimo adamante confecta huic immortalitatis viæ, famęq; emolumento poterit comparari? Nullo vehementiùs pręmio fortes alliciuntur, nulla occupatione distrahuntur decentiùs sapientes. Veruntamen si rebelles illi, qui in patriam quasi in matris viscera conspiratunt, pari supplicio, ac fidi ciues præmio sunt afficiendi, æquum sane est, & iustitię norma satis mensuratum, vt quemadmodùm patriæ defensores in perpetuam externis famam, in veram suis nobilitatem monumentis consecrantur, sic patriæ hostes, quos ne defleri quidem iura permittunt, in contumeliam proprijs, in ignominiam alienis apud historias æterno dedecore affecti inueniantur. Qui ergo, propriæ Reipub. historias literis mandare consueuerunt, egregium sanè munus, & omni alio præstantius suscepisse, sunt existimandi; cum enim optima ciuis laus in patriæ amore sita sit, qui Remp suam laudat, & patriæ debita soluit, & se ipsum patriæ amatorem exhibens miro artificio rem suam agit, & tuetur: quodquè etiam magis est, dum illustres, & præstantes viros meritò gloriæ, & immortalitatis præmio extollit, conspiratores simul, & fraudulentos iusto supplicio, & merita dedecoris sempiterni macula afficit. Quapropter iam ex hac serie labor noster qualiscumque est non immeritò susceptus videbitur, nec enim externos laudandos, nec de aliena Repub. agendum suscepimus: patria nobis Olyssippo, celeberrimum totius orbis emporium, imminente periculo in interitum inclinans scribendi segetem largita est, nec verò mediocre patriæ periculum enarramus, nec tumultuariam (vt vulgus autumat) rusticorum seditiunculam carminibus cõmendamus, sed atrocem nimis, & admirabilem hostium fraudem, quæ non solùm vrbi totius Regni capiti, sed etiam vniuerso Regno ruinam

infœlicissimam minitabatur. Quæ enim tibi vnquam (tecum alloquor Lusitania) nam tua res agitur, paries cum proximus ardet, & neglecta solent incendia sumere vires, quæ (inquam) obsecro tibi ruina maior, aut quę ærumna miserabilior esse posset? quàm Regnum illustrium gentilitijs, præteritorum memoria, præsentiumquè ornamento clarum in eam calamitatem deuenire, vt à barbaris possideretur, à rusticis gubernaretur, & quod summa miseria est à vili fabro, tanquam à Rege denominaretur, scelus quidem non solum nullis vnquam sæculis auditum, sed nulla etiam, vel maxima infœlicitate conferendum. Nunquid rustici politicum agerent? sapientiam, & bonas artes colerent? vrbanitatem inuiolatam seruarent? pericula præuiderent? ac denique hanc Regni molem suis humeris sustinerent? Quis est, qui cum optimatum nobilitatem, quasi flores toto Regno odorem suum diffundentes, videat impendentem illam barbarorum calamitatem memoria repetens præ iracundia non dicat,

Barbarus hac tam culta noualia miles habebit?

Quòd si nobilem patriam laudamus, si magnum periculum commemoramus, non minùs magnum est, quod agimus, dum illustrissimi Iacobi Fonsecæ laudes eximij patrię assertoris nostris carminibus, non vt res postulat, sed vt tempus finit, & vires sufficiunt, celebramus. At verò si aliquid est patriæ hostes, quatěuus possumus, supplicijs afficere, satis munus nostrum complebimus, si dedecore, & ignominia affecti, rustici illi in posteros relinquentur. Iam verò nostrum hunc laborem boni consulat Lector, at si operis fragmenta veterem disciplinam adhuc sapiant, id, quoniam poetico lepori, cui mysticum aliquid subesse solet, inseruientes, fecimus, religiosas aures non offendet, atq; ita iucundissimus nostri laboris fructus erit, sapienti lectori aliqua saltem ex parte placuisse.

LIBER



VID populi furor, et laxis audacia frenis,
Credulitasq, rudes fraudare assueta colonos,
Attulerit Lusitanis, cum dira cupido
Regnandi, vitiq, in pectore regius ardor,
Infandum scelus, & nullis res cognita seclis,
Exciuit strepitu plebem, cumquè arma moueret,
Vrbis Oayssea vastasset mœnia ferro,
Ni sedata, Dei auspicijs, & numine Diuûm
Turba foret, tantiquè extincta incendia belli:
Prætereà, quanam miseros vindicta nocentes
Manserit, & quàm supplicij sint ferrea iura,
Expediam, necnon fido, qua cura clienti
Placare armorum strepitus, Regiq, placere,
Vos mihi, si vestris fortè hæc audistis in vmbris,
Castalides, tantæquè iuuat vos gloria gentis,
Ferte pedem, facilesquè sacros recludite fontes.
Tuquè adeò Caroli clarum genus, omnia quando,
Auspice te, nostris damna expelluntur ab oris,
Seù modò terribiles cladem meditaris in Afros,
Afros vindictæ crudelia tela timentes,
Seù magis vltorem te iustis sperat in armis
Anglia consilio, & manibus ruitura suorum,
Heu longum infælix, nec cultus conscia veri

An potius Phœbi primos te volvis ad ortus
Indorum domitor, Gangemq; ad fræna coerces
Sponte humilem, tanuq; audito nomine Regis,
Atq; etiam Baccho magis admirantur ovantem
Trapobanem quicunq; tenent quicunq; vagantes,
Horrida vicina transcurrunt culmina Nysa;
Quicquid erit, quod te magis adiuvet, accipe gentis
Facta tua, trepidamq; undis decurrere Cymbam,
Dignatusq, virum mira belli arte domantem
Tot populos eadem hac ne dedignare canentem.
Postquam Lysiadum imperium Mavorte sinistro
Occidit, & Libycis tumulum quasi sit in arvis,
Cum, quicquid Regis placidum, Regnoq; decorum,
Dum fortuna fuit, mundo admirante vigebat;
Una dies cuncta innumeros collecta per annos
Corripuit, Regemq, ipsum crudeliter hausit;
Regem infælicem, cui non flos ille iuventa,
Non animi vigor, et nullo perculsa timore
Pectora fatales potuere abrumpere Leges.
Illum Athlas vicinus, & ardua rura Lybissa
Hostilis tellus, veteresq; Antaonis arces
Fleuere, auditiq, per umbram ululare leones:
Quin etiam Oceanus gemitum dedit, & vaga retro
Flumina concussere undas, sine lege, polusq;
Fertur sanguineus misisse per aëra nymbos:

Tan-

Tantus erat dolor, & tanto res digna dolore.
Ex illo ruere in peius, retroq; referri
Spes Lusitanas: mille inuenere nocendi
Fata vias, nollet primam euasisse ruinam,
Dum turba infœlix grauiora incommoda sentit:
Primùm inuisa fames surgit, quæ frugibus agros
Destituat, cumulet magnis quæ cladibus agros.
Nec satis hoc: surgit spargens lethale venenum
Sæua lues, populatq; ingentes ciuibus Vrbes,
Quid memorem nocuis contagia dira sub astris;
Horrendum, & medijs deserta cadauera campis?
Non securus erat, qui prædia auita petebat,
Desertosuè lares, & inexplorabile tectum;
Heu nihil intactum mansit, nihil inuiolatum.
Parua loquor; surgit media inter talia nostris
Accitum damnis Regni fatale flagellum,
Ne Regio hæc tandem bellorum intacta maneret;
Surgit qui paucis populi inter mœnia ductus,
Seditione potens, Regni sibi iura petebat,
Ausus inexperto miseros committere Marti;
Continuò ver illud opum, flos ille virorum
Disperijt, sinè ciue Vrbes, sinè iure Senatus,
Omnia sunt populata: patres ipsa atria lugent,
Illustres Regni patres, quos cura salutis
Lysiadum, & syncerâ fides, promissaq; Regi

Henri-

Henrico, patrias cogebant linquere sedes.
Cesserat annorum longe iam pondere victus
Rex pius, & tandem fatorum extrema parat,
Iam vitæ exosus lucem. Iam debitus astris
Henricus, Lusitanæ spes ardua gentis,
At paucis ante obitum, firmataq; fœdera linquit,
Has tantum inferias, tumuli hac insignia poscit.
Lysiadæ magni, fidum genus, hoc mihi primum
Est animo, hæc vobis mandata extrema relinquo:
Rex est Hesperiæ, quo non præstantior alter,
Relligione viget, nec sumptis æquior armis,
Hunc vobis nostro eretum de sanguine Regem,
Fas, & iura sinunt, & amico sydere Cælum
Hunc capite, hic tandem fatorum terminus esto.
Hæc memores fido seruarunt pectore patres
Incorrupti animis, Regisq; in iussa parati.
At Cælo plebs ingrata, et sibi fortibus ausis
Aduersa, insurgit, fatisq; repugnat amicis,
Inuoluunt miserum Martis ludibria Regnum.
Interea magnus molitur magna Philippus,
Arma mouens, si forte armis seductor iniquus
Apparet indignas Regni defendere partes:
Dumq; acies parat, & crudo spem credere Marti,
Hæc tantum cura ante oculos infixa moratur,
Ne iam fessa malis, & longo victa labore

Lysia gens noua damna nouo patiatur ab hoste.
Tempus erat, quo flaua Ceres promissa reportat
Agricolis, et maturas terit area fruges:
Tunc curare, labor ne corruat irritus anni,
Et miseros iam iam ad limen spes fraudet agrestes;
Lege cauet, totisq; volant præconia castris,
Quis quis vel leuiter Cererem violauerit, ille
Morte luat, nec enim furtis hostilibus vrbes
Vexari patitur: sic bellum imbelle parauit.
Tunc ardet Lusitanus inuisere terras
Tantaq; felices reddit præsentia ciues:
Instaurat regio pompam, et tumulata resurgit:
Ipsa vrbis turres venienti, et mœnia plaudunt:
Cedit iter, tellusq; nouo vestita decore
Amplexus petit, & pedibus grata oscula libat:
Tollit Olysippo caput, & sibi reddita sceptra
Agnoscit, Regiq; altum gratatur amorem,
Iam maior, iam dites opum, iam nota per orbem.
Ergo age quid dubitas, ô Lusitania? lauro
Cinge comas, cinge, & veterem obliuiscere luctum,
Felici fruere aspectu, quo mitior aer
Redditur, & veteres linquit fortuna penates,
Nesciaiam, nolensq; suis discedere terris.
Senserat hæc Stygia cultrix infanda cauerna
Lusitana iterum fata indulgere quieti,

 Impe-

Imperiumq; potens Regis splendore potentis
Barbariem premere ingentem, & prostrata videre
Omnia sub pedibus, quà circuit Amphytrite:
Tunc ferale gemens premit imo in corde dolorem,
Nec languere dolor patitur, volat irrequieta
Tercentumq; dolos, tercentum conuocat artes,
Dehinc secum hæc. Semper ne ausis maioribus ibit
Lusitana cohors, & Cœlum vertice tanget?
Quippe vigent fata, & nostris conatibus obstant,
Nec satis est, quòd pressa fuit, quin pressa resurgit,
Pondus Idumæam sic tollit ad æthera palmam;
Ipsa sibi, quod porrexi medicata, venenum
Transtulit in melius: creuit fœcundarum ins
Lernææ specimen serpentis; nunc ego fraudor,
Fraude mea, inuicto surgit spes altera Rege:
Non ita: sed veteres accedam rursus ad artes.
At ni magna meis opponunt numina votis.
Diuûs hostes prohibentq; nouis succedere bellis
Cuncta traham, ac penitus spes interclusa peribit.
Quà nitida surgunt sacra promontoria Lunæ
Secessu in longo, sinus est, qui littore curuo
Oceanum indignantem vndis, & saxa cauantem
Accipit, & mitem in molles eructat arenas:
Hîc paruum exiguo munitur portice Templum
Ingenti Diuo latè sacrum illius aras

Neptu-

Neptunus rauco gratatus murmure lambit,
Scilicet æthereæ diuus gratissimus arci
Iulius in thalamos Hymenæi in iura vocatus
(Coniugij decus) ille manens in calibe lecto
Inuictus faciem tulit in sua vota puellam.
Vir pius hic, cui libere erant altaria cura,
Pauper erat, nec notus adhuc queis vectus ab oris,
Aspectuque, cibisquè, & toto corpore durus
Multa ferens, precibusq; ipsum moturus Olympum;
Mirantur, quicunq; tenent loca proxima diuo
Gens rudis, inq; suum nimium citò credula damnum:
Diuinumq; vocant vatem, & præconia in astra
Attollunt, verum, an falsum quis in hospite norit?
Ille autem duræ virtutis signa secutus
Vix dulces somnos longa sibi nocte petebat
Inclinans saxo fessum caput: illius artus
Permixta assiduo rumpebant verbera luctu,
Horrida vestis, & in dumis exercita planta,
Frons Cœlo exposita, & Phœbi durata colore:
Candidus ora, ruberq; genas, flauusq; capillos
Impexi crines, prolixa ad pectora barba,
Incultus penitus mos, & vir cætera purus.
Interea humanis infesta Philerchia rebus
Dirum mente nefas, & sæuas concipit iras,
Et Regum solita excelsas habitarier arces:

Tunc primùm verba agrestium, & magalia nouit,
Et vestem mentita unum de plebe propinqua
Hac ignota tenus Mathæi limina tangit,
Multa animo versans, multoq; imbuta veneno.
At custos templi in tenebris sibi fortè vacabat
Exosus lucem, & caci ludibria mundi,
Solùm curat opes Cœli affectare precando
Tristitiam media, & mæror inter tristia lætus.
Hac quondam (ut perhibent) Saturno Rege fuerunt
Secula, nil magnum proprios sumebat in usus.
Aurea gens, paruoq; potens, non inuida terris
Regnabat, qualis gestat nunc sceptra cupido.
Ergo antiqua sequens sancti vestigia moris
Mathæus deserta petit, statuitq; penates
Exiguos latere in rupis, qua plurima ponto
Imminet, & dorso cumulos obliquat arena.
Hic lachrymis nequit extolli, tunc fortè lauabat
Fonte sinus, superisq; preces securus agebat.
Diua sub hac. O Rex longis exercite damnis
Spontè miser, spontè insanis agitate procellis,
Sat fatis, lachrymisq; datum, si muniri fletu
Extingui posset, iam nunc extincta fuisset:
Tu modò redde tuis te, et patrem sceptra tuorum
Redde tibi, populumè lachrymis, te è puluere tolle.
Septimus assuetis voluit Sol cursibus astra,

Ex quo

Ex quo te Lybiæ viderunt culmina victum,
Ingenti comitatu, ingens victoria Mauris,
Christiadisq; dolor, Cœlum hoc, & conscia testor
Numina, crudeli nunquam te morte peremptum
Lysiadas inter tot fata aduersa putasse;
Ergo qua fortuna viam dat dextra, sequamur,
Notus,ades,recolunt que sui mutata Sebasti
Ora omnes: surge, & sceptris te redde paternis,
Externoq; Vrbes Regi fuge credere nostras.
Hæc effata tacens, ut erat simulata Clientem,
Subiecit caput, & Regis dextra oscula fixit.
Obstupuit dulci perculsus nomine Regis
Mathæus, serpitq; infuctum dira cupido.
Extemplo magno curarum fluctuat æstu,
Viget honos, suadet præceps occasio, tardant
Degeneres animum vili de plebe timore;
Multa obstant: sed tartarei vis sæua veneni
Dat faciles causas, & dura obstacula rumpit:
Ardet habere doli socios, & criminis author
Nescio quid magnum iam dudum pectore versat;
Exoritur dubium vicina per oppida murmur,
Et populos permixta dolis insania turbat,
Vna omnes properant certatim agnoscere Regem,
Et qui rura colunt, & qui marTia alta fatigant,
Barbara gens, quos nec facies horrenda pericli

Abstерret, ratione vnquam benesuada moratur
Bellandi indociles pacem violare parati:
Ille latet, nulliq; videndi copia Regis
Vlla datur, sectusq; magis populi omnia firmat:
Agglomerant acies pauor exultantia corda,
Et spes fixa Euris, & amor temerarius haurit.
Continuò Dea, quæ Stygias colit impia sedes,
Inuigilat voti compos: tunc tecta frequentat,
Proxima tamquè iubet Regi succurrere lapso,
Exclamans. Erat ante alios ditissimus omnes
Alphonsus, terram solitus versare bidente,
Barbarus, atq; humili non dignior ille parente.
Hunc Dea nube latens, & nulli passa videri,
Aggreditur, dictisq; ignauum obiurgat amaris.
Alphonse infelix, Alphonse, quod impia secla
Celarunt, en tam melior, iam fessa nocendi
Dat fortuna, suisq; fauens se accommodat vltro.
Belliger, Europæ decus immortale, Sebastus
Inuisus fatis longum nobis lachrymatus,
Post miserum terra exilium, ambagesq;, laborum,
Heu miser errat inops in Regnis exul ademptis,
Emensusq; orbem, vestris huc appulit oris
Consilij senioris egens, tu inglorius auum
Transigis inter oues, interq; armenta ferarum,
Surge memor Patriæ, fama vincatur amore

Tor-

Torpor, & agrestes habitans ignauia sedes,
Hinc honor, hinc tituli, hinc in seros fama nepotes.
Dixerat, & densis permixta euanuit vmbris.
Ille autem nequicquam auras quærebat inanes
Attonitus vocem admirans, oculosq; per omnem
Versabat sine mente domum, & nunc turbidus hæret,
Nunc furit impatiens: postquam nil denique sensit
Prospiciens Cœlum, has effudit pectore voces.
Nulla mora est: O syderei regnator Olympi
Agnosco Cœli monitus, si agrestia tanti
Sunt Superis tecta, & paruum quoq; munus amatur,
Exequar, et Cælis iussa haud spernenda facessam:
Sponte ibo, pulchramq; necem pro Rege pacistar.
Continuò populos (villam nam forte colebat)
Exclamans petit, et diuorum Oracula narrat,
Incusatq; moras, seq; in discrimina primùm
Inijcit, exemploq; rudes hortatur amicos.
Intereà per vicum parua oppida montis
Fama ruit: Regem, quem quondam Lysia tellus
Nutrierat belli non prospera fata secutum,
Viuere adhuc, sceptrumq; iterum sibi velle relictum;
Aduenisse diem, quo iam sibi parcere fas sit,
Et populos regere, & veteres attollere pompas;
Ergo armis accincta ruit, nullo ordine turba
Nil metuit, nil scrutatur mens omnibus vna

Credula tàm facilis falli, quàm nescia veri:
Omnes iam venerantur, amantq; insignia Regis,
Nec credunt fraudi esse locum, fictaq; mouentur
Virtute, & ficti iurant in verba Sebasti.
Continuò Alphonsus Templum petit: & sibi primùm
Ardua commissi Regis secreta reposcit.
Tunc Regi hæc: Nequicquam altis tibi debita fatis
Sceptra fugis Rex magne, tuo aduersatus honori:
Te quondam medio dubij in discrimine Regni
Lysia plebs (memini) venientem in limina vitæ
Optabat lachrymis, lachrymis quoq; funera fleuit,
Exitiumque, iugumque atrox, dirumq; trophæum
Nunc lachrymis sibi te plebs Lysia reddere quærit
Bellum exhausta graue, & sæuos perpessa tumultus.
His dictis animos incendit, & aggerat æstus
Curarum, socijsq; implet iam vota paratis.
Ille reluctanti similis primò effugit omnes
Applausus, Regemq; negat se, ne quid onustum,
Ne quid honoratum sibi vendicet, altiùs vrget
Alphonsus, cogitq; volentem cuncta fateri.
Confluit interea turba imperterrita, et altis
Montibus, & viridi dispergitur vndiq; campo,
Inq; dies magis, atq; magis dementia crescit.
Non secus, ac stipulis si quando occulta moratur
Scintilla, et primò nullis attollitur auris,

Quam nocte agricola, quam contempsere coloni:
Serpit adhuc, quaritq; nouas per pabula flammas:
Deinde potens Cererem vorat, & magalia tandem
Ingenti trahit ad terram concussa fragore,
Iamq; illam Agricola, & timidi fugere coloni.
At Rex attollens caput altius, aduocat ad se
Alphonsum, & titulis implet, curamq; phalangis
Pollicitus meliora dedit: tunc eligit omni
Ex turba geminos, lateri quos iungat amicos;
Nil verò absimiles testantur verba Sebastum,
Regales q; animi, & grauitas permixta fauore.
Nox erat, et tacita per amica silentia Luna
Errabant toto dispersa rure cohortes,
Cum Templi in medio lachrymis perfusus ad aras
Mathæus magno superos clamore vocabat
Multa gemens, crudoq, abrumpens membra flagello;
At turba ante fores studiosas applicat aures
Ad miseri verba, heu nimium fallentia verba;
Tunc ille has mæsto ducebat pectore voces.
Num quicquam indignũ pateris Rex, omnia quãdo
Consilijs cecidere tuis? iacet aurea proles
Nobilium, iacet & populi, quæ maxima quondam
Pars fuit Europæ, quæ non felicior vlla
Pœnarum satis exhaustum victoria, quæ me,
Quæ socios leuibus quondam nutrierat auris,

Heu

Heu Mauris tulit inuisa tellure trophaeum,
Et tumulum, lybicaq; canes, famaq; volucres
Pro titulis Pheretri, et pompa grauiore fuerunt.
Omnia dispersi, atq; extrema in fata vocaui;
Vos superi, si qua est pietas, si sydera tangunt
Hi luctus, atq. hac suspiria, ponite vires
Antiquas, cessate odijs extinguere gentem
Immeritam, me me furia exercete nocentem,
Qui merui, qui spes animo venerabar inanes.
At si fortè grauis iam culpa exempta labore,
Si luimus quicquid gestū est, dum sceptra manebant,
Cernite me, & Regno tandem me reddite auito:
Non aliena peto, aut indigno extollor honore;
Tunc vobis (nec enim vanus promissa refellam)
Sacra memor recolam solemnibus annua votis;
Ergo nouas ades, & Templa ingentia Diuis
Condere, erit mihi cura, nec est iam gloria maior,
Quàm superis, quicquid tulerit, fortuna, referre.
His dictis incensi animi cura ardua glis cit,
Hinc firmata manet fictis fraus improba verbis,
Et bellum lethi pater: extolluntur in auras
Clamores, celebrantq; ingenti voce Sebastum.
Extemplò fulsere ignes, Saturnus ab alto
Intonuit Pater, & laeuum nemus omne remugit,
Auditusq; auium strepitus, Dryadumq; vlulatus.

Nec

Nec iam Mathæus titulos, famamq; recusat
Quicquid erit, quod fata ferant, sansitquè, iubetq;
Exultans, vilsq; caput sub pectore Regem.
At nequid socijs dubium, neuè arguat in se
Degeneres animos, generosum crimen anhelat
Fraude tumens, populiq; applausu redditus audax.
Intereà Regni clauum securus agebat
Albertus, proles summi manifesta Philippi,
Cui magnum præclara dedit Ducis Austria nomen,
Austria auis domus, & sceptrum dignata paternum,
Quem pubescentis iam nunc sub flore iuuenta
Purpureum Romana legit sibi curia patrem,
Virtutis patriæ specimen, quem Lysia tellus
Et gremio fouet, & charum suspirat alumnum,
Sorte potens, certant paribus se attollere velis
Nobilitas, & amor, nec erit, qui vincere malit,
Forma apta imperio, teneris maturius annis
Consilium, qui sapè præmens illustre curulis
Sedis ebur, secla Erigones tulit aurea terris,
Et mandata prosequitur vestigia Regi.
At fraudum instructor solitas Mathæus ad artes
Confugit, & magnum inuoluens dementia crescit,
Tunc famulum vocat, ad nutum puer impiger astat
Natus Odyssea, haud ignoto patre sub Vrbe:
Nulla mora est, puer, i, perge in mihi debita tecta,

Qua

Quæ colui, dum fata dabant; ibi fortè moratur
Albertus, stirps nostra, illum nostro ore saluta
Felicem, iuuenis, quæ etiam iactamur amore,
Iamq; salutato hæc nostris refer omnia iussis.
Viuimus, & patrijs nondum discessimus oris,
Nec Regno indigni, aut populi clamore repulsi:
Cætera secretis narrabit epistola verbis.
Hæc ait: at famulus celeri velocior aura
Præterit & montes & notos præterit agros,
Iamq; vrbi defessus adest, audacia vires
Auget adhuc, nec enim Regis mandata retractat:
Tunc Magnũ petit Albertũ, et cuncta ordine pandit.
At Princeps fraudisq; genus, viresq; furoris
Miratur, mulcetq; animis Regalibus iram,
Ni cessent miseros expectat pœna nocentes.
Nec tamen hic sceleris sistit via, tenditur vltra
In peius, iam, iamq; caput trans nubila fundit
Ambitiosa lues, nigra tunc filia noctis
Pergit agens fraudes, et Regnum turbine versat.
Famam ergo ex alto magna telluris hiatu
Mathæo trahit, hæc celeri velocior aura
Iussa refert populis, & Regis nomine complet
Iam ripas vtrasq; Tagi, & felicia Monda
Rura vocat, Duriumq; nouis exasperat armis.
Quid magis indignum, vel quid crudelius vnquam,

Post-

Postquam acies, lethiq; vias gens ferrea vidit,
Tentauitq; scelus, potuitq; insana cupido!
I, tandem Mathae, tuos molire triumphos,
Arma cape, & laeso Regionem hanc omine verte:
Nunc pompa latè, & titulo iactaris inani
Infelix, nec adhuc damna impendentia cernis;
Heu citò tam ficti marcescit gloria Regni!



LIBER

LIBER SECVNDVS.

INtereamagnam volitans it fama per Vrbem,
Aduentare diem, post damna exhausta, Sebasto
Quo Regno, & charis iam restituatur alumnis
Distrahitur varium varia in discrimina vulgus:
Pars Regem superesse putant, vanisq, mouentur
Indicijs Libyæ, quod nemo viderit armis
Truncatum: sed quis Martis discrimine in ipso,
Vel se, vel tergo properantem conspicit hostem;
Verùm alij (quorum potior sententia) plebis
Insanæ strepitum, & subiti miracula Regis
Contemnunt, notumq; dolis, quid pectora possint
Instructa, et diris mens seditiosa sub armis,
Nec tot acerba pati potuisset damna Sebastus,
Si modò quem referunt vt e Rex debescitur auris.
At monstrosa videns bellorum exordia Princeps
Albertus, vigili stimulat præcordia cura,
Quis plebi euentus melior, quæ bella sequantur
Pacis amans, mediamq; inter clementior iram.
Tempus erat, quo membra, dies, quæ fessa reliquit
Quærebant somnos, et opacæ munera noctis,
Cum nemorum virgulta silent, nidumq; volucris
Tuta colit, ponuntq; graues ad litora fluctus.

At

At Princeps (quanquàm dulces è pectore somnos
Cura fugat) soluta venatur dona quietis,
Purpureoq; thoro, & stratis noctem accipit aureis:
Tunc tacitis permixta umbris apparet imago
Vrbis Vlissaa canos effusa capillos,
Arma humeris excussa, nigrosq; induta paratus,
Et veterem luctum, & luctum testata recentem,
Corde timor, lachrymaq; oculis, & pallor in ore:
De hinc sonus audiri gravis, & suspiria duci
Densa umbra, & latè tristis locus, omnia muta,
Omnia sunt metuenda, instant omnia planctus;
Eminus illa gemens, & rauca murmure vocis
Albertum vocat, Albertum: mora nulla vocantem
Attollens caput Albertus quarebat in aula,
Nil certè timidus: cupidus magis ergo per umbram,
Huc, illuc volens oculos illuditur auris:
Solùm audire sonos, & voces reddere fas est.
Tunc iterum, Vigilas ne (inquit) nostrique laboris
Immemor ingentem lata inter somnia noctem
Ducis? Vlyssaam iam muro imminet hostis:
Ad te nunc ruitura, mea ne gentis honorem
Improbus insanis iterum Mars hauriat armis,
Confugio: miserere Vrbis, miserere tuorum,
In te vno spes, & nostri solatia luctus
Fida manent: cessas tantis occurrere bellis?

Cerne agrestem aciẽ, et quã plurima damna minãtur:
Nec desunt, qui nostra petant quoq; viscera ciues,
Infandi ciues, matris dolor improbus Vrbis.
Scilicet hoc metuenda Dei portenta canebant,
Hoc mihi sanguinei iubar exitiale cometæ
Protendit, magnuſq; hanc cladem obmurmurat æther
Iam dudum, & durabis tantis obstare periclis?
Est mihi, ſitq; precor, longis felicior annis
Iacobus Fonseca, illum iam experta fidelem
Vidi inter strages, inter tela horrida pestis
Impauidum, dum vastarent contagia ciues:
Ille mihi deserta, & iam postrema timenti
Occurrit, cumq; in patriam crudelibus ausis
Seditio Afrorum vinclis q; erepta iuuentus
Effugeret, Mauramq; aciem in mea damna vocaret,
Obstitit ille, metuquè Vrbemquè, ſuoſq; leuauit;
Hunc ergo electum nostra in solamina mitte.
Dixerat: at Princeps, simulacrũ vt nouit, & vrbis
Mærentis gemitus, immotus talia fatur.
Pone metũ Vrbs mihi chara, tuis ego prouidus adsum
Rebus: habent nullas & fraus, & crimina vires:
At quæcumq; tuis impendent damna leuabo.
Nox fugit interea, & montes inuisit Apollo:
Tunc versis rebus rediit color, exit ab altis
Albertus stratis, & casus mente volutat,

Sollicitus quid agat, quis corda tumentia possit,
Et terrere armis, & læta pace domare.
Ergo consultus, cui tanta negocia tradat,
Iacobum vocat, hic multis prudentior annis,
Et bello poterit sedare, & legibus orbem,
Scilicet in gremio natum fouet vtraq; Pallas,
Bis etiam iterum comitatus in arma Sebastum
Inuisit Regi præsens Atlantica rura,
Et monstrata suis Martis vestigia liquit:
Quid memorem, quos ille dolos, quas ille repressit
Bellorum furias? dum multis surgeret armis
Seditio, rueretq; ferox in prælia vulgus,
Inq; caput celsi plebs coniurata Philippi
Seductor belli caput, & pars tota tumultus:
Iam populi assensu maior, iam in bella paratus
Spem Regni, Mauortis animo credebat iniquo:
At magnus Fonsecca, manet quem cura quietis,
In quo Vrbs tot damnis, iam iam casura recumbit
Seductorem arte, & verbis compellat amicis:
Iamq; iugum Regni procul è ceruice repellit
Sedatis belli causis, & fœdere pacto,
Pax oritur, sed vesana dementia plebis,
Indignis iterum te Lusitania bellis
Miscuit, & misera fecit freta peruia classi:
Tempestate illa præturam fortè gerebat

Magnis exiguum meritis decus, ille Sebastum
Fictum ante (omne nefas in peius sæpè redibit)
Compressit, docuitq; rudes contemnere sceptrum:
Hunc ergo magnus Princeps vocat, atq; ita fatur.
Scis Fonseca, tuis vt Lusitania factis
Lætatur, scis, vt magno tua cura Philippo
Grata manet, meritiq; tibi seruantur honores:
Ergo age, nec sine te patere hunc transire laborem;
Est è plebe satus, qui se simulare Sebastum,
Iam letho exhaustum, nostrâ quoq; stirpis honorem,
Audet, & agrestes in nos armare cohortes:
I, pete, supplicijsq; reos vltoribus vrge.
Hæc Albertus ait, ille caput demissus honestum,
Me ne, inquit, tanto nutantem pondere Regni,
Subtraherem huic, nollemq; libens seruire labori,
Quippe animus superest, quando iam debilis ætas
Bella fugit, fortunam etiam speramus vtramquè,
Nec me blanditiæ, nec me tenet hausta senectus.
Hæc ait, at Princeps fesso miratus in æuo
Viuere vim, Fonsecæ animo amplexatus amico est;
Iamq; omnes circum populos, iam, oppida circum
Hortatur Dux Fonseca, vt sibi quisq; laborem
Partitus, vigilet campis, ne indemnis bello
Pulsa acies meritum fugiant impune periclum.
Intereà lati iuuenes in bella parantur,

Quos

Quos ductor Fonsecca monet, lateri quoq; natus,
Nec virtute minor, nec natu maximus hæret
Nomine auum Franciscus, auum virtute secutus.
Iamq; equites Vrbis portas, & mœnia linquunt
Effusi campo. pars gyrant vndiq; habenas
Quadrupedum, letoq; viam clamore sequuntur;
Cum nox atra Polo labentia sydera pascit
Ibant occulti tenebris, & munere noctis
Dux primùm Fonsecca, dehinc præclara iuuentus,
Omnes lecti equites, omnes simul arma frementes
Insultat sonipes campo, & via pulsa remugit.
At ductor (quanquam socios nil cura moratur
Intrepidos, iam iamq; hostem in certamina poscunt)
Consilio belli euentus quicunq; sequantur,
Maturat, iuuenumq; tumentes temperat ausus:
Iamq; aderant campis, quà Dux Alphonsus agebat
Agrestes in bella manus: gemit obruta tellus,
Et Dryades violatæ, et rustica numina clamant
Sacrorum nemorum num tanta incendia iussi
Ferre queunt Superi? num damna impunè videt Sol,
Quæ patimur, quæq; ingratus molitur alumnus?
Tuq; ades, ó pater Vrbis, ades Fonsecca, tuisq;
Ciuibus hac, siquid meruerunt, excute bella.
Talibus attonitus Dux impiger, ardua quando
Ingenium, ductrixq; ducum prudentia suadet.

Ergo viam celerare iubet, socia agmina dictis
Incendens, acuitq; animos, atq; incitat æstus
Irarum, iamiamq; horrendam instare pericli
Hortatur faciem, & sæui primordia Martis;
Exultant monitu iuuenes, lætusq; per omnes
Clamor it, fictumq; vocant in bella Sebastum,
Iamq; sibi, & Regem, & proceres illudere captos
Frustra artem, frustra damnantes sceptra videntur:
Atq; ea dum læti armorum præludia iactant
Fidi equites, alia Mathæus parte volutat
Felices belli euentus, suadetq; colonos,
Obsita desertis captare ligonibus arma;
Nec verò iussi cunctantur, surgit in arma
Infelix turba, & structis defendere vallis
Oppida, quæ Regis sunt iussa ingentia tentant.
Excubijs ergo longam producere noctem
Constituit, seruatq; vices sortita laborem.
Oppidum erat prope Mathæi magalia, quâ se
In curuos agit vnda sinus, hic turba manebat
Martem orans armis, expectabatq; triumphum
Ingentem, ne vexet adhuc fortuna Sebastum.
Postera vix tenebras Pallantias orta fugarat,
Cum ductor Fonsecca ausis felicibus hosti
Improuisus adest, pauidi intra tecta coloni
Continuere metu se se, quiq; oppida fossis

Muni-

Munibant, ducis aduentum ſenſere, nec vltra
Audebant conferre pedem, & ſe credere pugnæ:
At ne quid miſeri videant crudele ſub armis
Non moniti, aut cæcos, cæca ignorantia damnet,
Dux Fonſeca iubet, quem ſecum fortè gerebat
Inſignem prætorem, & iam grauiora ſecutum,
Qui moneat ceſſare, accepta q; ponere tela.
Continuò prætor tanti pars magna trophæi,
Quem magnis ſocium dux non ſinè numine factis
Aſciuit, Martem, et Martis partitus honorem
Aluarus è Tauora ſtirpe inclytus. vnus vtriq;
Fortuna, paucis equitum comitatus, in hoſtem
Irruit: viq; oculis aciem imperterritus hauſit,
Conſtitit, et tali plebem ſermone laceſſit.
Ponite tela manu, & ſacris abſiſtite bellis,
O miſeri, quæ vos agitat dementia, ferrum
In patriam capere, & ſceleris defendere partes?
Ponite tela, nec inſanis vos dedite fatis.
Olli ſurrexere (tumens dementia ſuadet)
Vulcanumq; cient ſtrepitus volat acta per auras
Plumbea glans, & fata ſonans inſtare minatur,
Sulphureamq; trahit nubem; dum talia demens
Turba monet, ſenſit iuſta Dux percitus ira,
Nec mora primus equo faciles laxauit habenas:
Hunc alacris ſequitur iuuenum manus, emicat altè

Macte animi iuuenis, qui pulchro laudis amore
Se se ante ora patris medios fundebat in hostes:
Irruitur, Mars saeuus adest, it clamor ad astra,
Calcantur trepidi agrestes pede quadrupedantum:
At miseri (nec enim poterant sperare salutem)
Vestigiaq; fugam, se seq; per auia mittunt.
Qualis ubi in ramo fluuium propè turba volucrum
Sedit, & alternis solatur cantibus æstum:
Accipit sonitum venator, in arbore prædam
Scrutatus, lunatq; arcum, tenditq; sagittam:
Illa volans strepitu incautas deterret, at illæ
Deseruere locum, & cantus, pars territa surgit,
Pars collapsa leues nequicquam commouet alas.
Dant fletum capti agrestes, manibusq; ligatis
Vltorem venerantur, et impia prælia damnant.
Intereà celerare fugam, & se condere syluis
Fusam aciem, sensit trepidus tam fraude retexta
Mathæus, penitusq; equites occludere saltus,
Vixq; fugæ esse locum: Qua nos ignauia tardat?
Quid speramus? ait. Timidus sic fatur, & vltro
Compellat geminos, lateri quos iunxit amicos.
Este boni, ô fidi comites, via sola salutis,
Aut fugere est, aut nos in apertam ducere mortem.
Hæc ait, & latebris immersus deuia lustra,
Desertosq; petit lucos: timor improbus hostem

Ante oculos instare monet, terretur ab vmbris
Ramorum, fremituumq; aure perterritus hausit,
Armorumq; sonum, & toto putat agmina luco.
Ergo ingens nemus emensi, tot passibus hostis
Aspectu eripiunt se se, & castra impia linquunt;
Iamq; labore via, atq; aestiuo puluere victi
Villam in conspectu, vicinaq; prædia furtim
Intrare, & frustra sedem sibi quærere tentant.
Villa erat ingenui ciuis possessio, qua dum
Officijs vacat à magnis, vrbemq; relinquit.
Annua florigeri captat solatia veris.
Ibant occulti in lethum, meritisq; feruntur
Quisq; suis, nec adesse vident fata vltima captis.
At ciuis campo excubias offensus agebat,
Impediens fugienti adytus: memor omnia iussit
Fonseca, & vigili complerat milite campos:
Quid non occultum in dubijs præsentior armis
Magna animi fides, & magnis mens prouida rebus?
Inuigilat tandem ciuis, nemorisq; latebras
Explorat socijs non segnibus: ecce repente
Sylua sonat, qua se miseri per deuia condunt,
Iamq; hic prima mali facies, primusq; necis fons;
Consurgunt vigiles socij, & circundare saltus
Contendunt, notaq; adytus occludere sepis,
Ne vlla inter claustra fugæ spes vlla supersit.

Ac veluti si quando greges populatus, & agros,
Antra petit referens prædam lupus, illius vna
Pastores indignantes vestigia quærunt,
Iamq; insperatum inueniunt, et dentibus agnam
Semesam eripiunt: olli inclementia sæuit,
Impatiensq; reluctatur: tunc funibus instat
Turba ferox, captumq; trahit clamore secundo.
Haud aliter capto exultat iam Rege iuuentus
Inclyta, Regales nec cessat ludere pompas
Incusans socios Quæ vos dementia cæpit
O miseri? quis vos tantis Deus extulit ausis,
Antiquæ Regni fidei, Regiq; rebelles
Annuere audenti, & sceleratis credere dictis?
Tunc captis vincla iniyciunt, magnoq; sequuntur
Clamore, & turbæ nemus assentitur ouantis.
Intereà Agricolæ, qui tunc vicina colebant
Prædia, concurrunt, circumfusiq; tuendo
Expleri nequeunt, pars capto illudere Regi,
Et tristes ignominias iactare Sebasto
Lætantur, pars audacem mirantur, & haustus
Ingentes, magnumq; potens, quid pectora cogat
Ambitio, nec mira manet iam fabula vulgo
Cœlum Phlegræos bello affectasse Gigantes.
Ergo Cœlicolis visum satis, omnia namq;
Bellorum extinxere doli inuentore reperto:

Tuq;

Tuq; etiam patriæ non immemor, accipis alto
Antoni è Cælo miseræ suspiria plebis,
Et longum miseratus (amor nam talia mandat)
Expellis iuga Lysiadis, nec passus alumnos
Vexari, quicquid lætum dant fata secundas.
Iamq; dies optata aderat, quæ gaudia terris,
Et toto Antoni nomen celebratur Olympo,
Cum Tagus, Erydanusque, & grato flumine Monda
Instaurant choreas, & vino altaria condunt:
Tunc iustis populi votis, & thure vocatus
Diuus adest, panditq; dolos, Martemq; coercet
Effrenem, populoq; obstat tam dirafrementi.
Annuit vrbs excussa malis, & munere Diuûm
Quicquid atrox ciues, quicquid lethale timebant,
In melius redit, inq; ipsummet vertitur hostem.
Ergo seruati, cumulent altaria donis,
Victorumq; res suspendant munera ciues,
Donaferant animi pignus grati: omnia Diuo
Libentur sacra, & meritis reddantur honores.
Adueniet quondam post secla ingentia tempus.
Cum cladem sceleru multricem, & vix credita bella,
Damnaque, fortunasq; virûm mirabitur ætas:
Tunc alios Troiæ casus, aliumq; Sinonem
Audiet (heu tanti proles secura pericli!)
Et magnus Fonseca dehinc mirabitur vltor

Mat-

Mathai ut fraudem, & populi compresserit iras,
Et proaui factis tollentur ad astra nepotes.
Nec minus & patria indiget sacra debita Diuo
Instruere, & Cælo solemnia reddere vota,
Mos erit, & nostris celebrari Antonius oris.
Diue adsis Lusitana decus addite genti
Turba tuo incolumis, tantisq; erepta ruinis
Munere, teq; suum vocat Vrbs non orba parentem;
Ergo indefesso, dum Sol per sidera motu
Ducet iter, uariansq; vices, & tempora, dumq;
Aurea fraternam spirabit Cynthia lucem,
Semper thure pio, semper celebrabere donis.



LIBER TERTIVS.

Tisiphone vt subitò dispersas Marte phalãges
Effugisse videt, scelerumq; in limine captum
Bellorum caput, & patriæ admirabile monstrum,
Ingemuit, votiq; expers furit indiga mentis:
Qualis Lernæi patris lymphata vagatur
Multo impleta Deo, & mentem turbata sacerdos.
Quid faciat? qua fraude suis victoria cedat?
Qua captum vi restituat, perq. auia fusos
In numerum reddat, captisq; furentibus obstet?
Ergo dolis iam victa suis, et fraude retexta
Occurrit mæsta Alphonso, dum fortè pararet
Degeneres in Martem acies, & feruidus ira
Irrueret, verbisq; suos stimularet in hostem.
Illa gemens, & fessa, agrestem induta figuram,
Militis horrendos equites fugientis, et ore
Sanguine fœdato, lachrymisq. in verba profusis,
Sic ait: Heu Alphonse, moræ quæ causa, quid vltrà
Expectas? pulsi patria, & natalibus agris:
Heù dolor! experti crudelem effugimus hostem,
Pars letho occubuere, manet pars capta sub armis,
Horret adhuc mens, & cladem meminisse recusat;
Ne dubita, en miseros testantia vulnera casus

Aspi-

Aspice (& ostendit, quæ vulnera veste latebant
Artifici simulata dolo, & fallentia visus
Mortales) additq; dolis Pellacia verba,
Quęs sæpe humanos soluta est præuertere sensus
In diuersa trahens, & talia deinde profatur.
Vix vitam eripui, vt tanta tibi cladis aceruos
Vindictam exclamans, & tristia damna referrem:
Ergo age, multa tibi sunt agmina, paucior hostis,
Rumpe moras vindex, & captos eripe vinclis.
Dixerat, at nouitate pauens vir percitus ira
Subnixus conto, retro vestigia torsit
Multa gemens, & multa trahens suspiria ab imo
Pectore, deinde caput circum per inane volutans,
Nunc huc, nunc illuc hostilia circunspexit
Agmina tunc quantos genuit vox nunciamotus
Composuit, sociosq; suos his vocibus infit.
Cernitis, ô socij (nec enim vos fallere nostrum est)
Quo iacet et res nostra loco, & discrimine quanto
Versemur, tam congressu nostra agmina primo
Turbauit victor, sociosq; in castra reduxit:
Heû dolor! & vinclis miseros constringit ahenis
Successu exultans, quin & sine honore sepulchri
Verrit humum pars magna, latet dispersa per agros
Altera pars peritura simul, ni nostra salutem
Dextra ferat pulsate moras: procul omnis abesto.

Segni.

Segnities, meministis auos, & prisca parentum
Facta, quibus creuisse adeò super astra videmus
Res Lusitanas: vestris fortuna lacertis
Commisit patriam, libertatemq; nepotum,
His stimulis agitate animos: nunc pectore firmo
Est opus, ò Lusi non inficianda propago,
Degeneres prohibete animos, quos numina semper
Destituunt timidis exosa, & laudis auitæ
Aemula, in ambiguis extollite pectora rebus.
Hæc vbi dicta acies iamiam bellare paratas
Construit, et certo digestos ordine firmat,
Nomine quemq; vocans, tunc ne quid bella morentur
Pergit agens, campoq; audax se effundit aperto,
Multa super victis mærenti pectore fatus.
Intereà effusis agrestibus oppida lustrat
Fonsecca, & Superis reddit pro munere grates
Auspicibus belli, et miseræ inclamantibus Vrbi;
Iamq; pererratis magni confinibus agri
Sedatisq; animis, & seditione domata
Victoris sapientis opus per deuia quærit,
Si qua latebit adhuc veteris scintilla furoris.
At dum fortè gradus, vicina ad littora flectit
Multa priùs miratus, & omnia pectore versans
Deuenit scopulum, quem circum errantibus vndis
Oceanus pater adlambit, fractusq; ruinam

Ingen-

Ingentem minitatur, & hoc sibi nauita numen
Elegit, nam terræ auidus, maris æquora postquam
Vicit, & insanas luctatus transijt vndas,
Iam rediens ereptus aquis, hæc littora primum
Eminus alta videt, primumq; hæc saxa salutat
Hanc rupem, dum sæuit hyems violenta, frequentant
Alciones gemitu, et flebilibus lamentis,
Huc postquam Fonsecca equites tulit, omnibus idem
Est animus statione frui, atq; in littore curuo
Vertere equum in gyros, cumulosq; obuoluere arenæ.
Dum læti hæc agitant iuuenes, victorq; triumphat
Insignis Fonsecca orsis felicibus armis,
Extemplo magnus toto fit littore clamor,
Turbatur pelagusq; fremens, & vertice largo
Densum puluere attolluntur ad æthera nubes.
Quis fragor. ô Superi, quem nã hæc miracula casum
Portendunt? num rerum iterum conuertitur ordo,
Horrendumq; chaos, mixtiq; exordia mundi?
Hæc inter magnum, & dictu mirabile monstrum
Apparet, iuuenumq; infringit corda pauore:
Concussere omnes animos, subitoq; tumultu
Vix sternacis equi cohibent calcaria cursum,
At nubes leuibus dispergitur humida ventis
Cum sonitu, cæloque ingens lux visa repente
Intonuit specus, & curuo vox reddita ab antro est:

Lysiada

Lysiadæ fugite heu, fugite impia littora, monstris
Horrendis habitata, nefas vbi sceptra, dolusq́ue,
Barbariesq́, infanda tenent: hic quiquid acerbum est,
Impietas finit, & vita mors inuida dignis:
Vidi ego (nec sit vana fides mihi) fluctibus ire
Præcipites duo nobilium, quorum alter habenas
Castelli ingentis Diuino iure regebat;
Alter crudeli fraudem exprobrauerat hosti,
(Heu pauidus refero) sectos in frustra, meoq;
Allisos scopulo, & tandem per saxa volutos
Accepit maris vnda sinu, tumulumq́, sub imo
Oceanus fundo erexit, cladema, nefandam
Neptunus raucis, etiam nunc, ingemit vndis.
Finierat monstrum; At media inter talia ductor
Sollicitus, Superos, vt bella incœpta secundent,
Implorat, ne impunè, hostem, patiantur, iniquum
Immeritos vexare armis, & perdere ciues.
Tunc alios lustrare agros, & quærere gentem,
Siqua restat adhuc, sectatoresq́; Sebasti
Infames, purgatq; locum lustralibus armis.
Olli inter se se, quæ sint ea monstra requirunt
Ficta ne, quæ Morpheus portis emittit eburnis,
An numen veniat potius verum: omnia secum
Voluentes campo accedunt, vbi lata patebat
Area, equis locus, & Mauorti accomoda vallis.
Hic

Hic ubi constituere aciem, vindexq; furoris
Insani, quà se condant hostilia castra
Nescit adhuc, at nosse cupit, cupidusq; requirit.
Continuò clangorq; tubæ, armorumq; tumultus
Insonuit, sonitum iuuenes hausere, fusiq;
Stant in equis.
Intereà ductor speculam conscendit in altam
Incendens socios, metiturq; æquora latè
Prospectu, & turmas oculis venatur ouantes.
Parte alia Tauora ingenuâ moderamine mentis
Prospiciens acies ingenti nixus in hasta
Expectat, curatq; dolum quæcumq; sequantur.
At ductor mortis non immemor, arma, tubasque,
Vt procul accepit, clamorem ad sydera tollit
Ingentem, stimulosq; animis iuuenilibus addit.
O veterum flos Lysiadum, quod tempore longo
Optastis, sperata dies en attulit: hostis
Accelerat, multamq; aciem, sed inertia corda
Cæcus agit: numerus ne nocet, quando omnia supra
Est animus, pulchro qui laudum incensus amore
Victor erit, vel acerba petet per vulnera mortem?
Num nos degeneres patrum syluestria terrent
Arma, nec exiguo pudet occubuisse periclo?
En agite, en capite arma, decus nunc ardua mandat:
Nobis Numen adest, & nostris annuit armis.

Vos

Vos Superi, si qua est terrarum cura, polusq;
His precibus iusta Erigones sancta atria pandit,
Este dolis memores: pereant ò vindice ferro,
Quos Regi, & patriæ indecores sceleratæ cupido
Regnandi, magnumq; potens audacia mouit.
Tuq; decus Lusi,magnaq; salutifer Vrbi
Adsis Antoni, namq; hac voluentibus annis
Sacra tibi lux est, et thura imponimus aris
Grata tuis, numenq; tuum sentimus amicum.
His dictis longè clinoso in tramite turma
Apparent, Duxq; Alphonsus superemmet omnes,
Et iaculum crispans rudibus conuitia verbis
Iactat in aduersos hostes, seq; altior infert:
Tunc Tauorà Fonsecca iubet,qui Marte propinquo
Præcipitetq; moras,partiq; occurrat iniquæ,
Et miseros bello exhaustos, quos ante ligarat,
Deferat, & magnam cautus secedat in Vrbem.
Ille celer peragit, curandaq; curat, & omnes
Fert turmas, si quis se vinclis deneget illum,
Sollicitat pœnis, et sæua morte minatur.
Interea auxilium magna mittebat ab Vrbe
Albertus memor, & paucis solatia fessis
Fronsecca ducis hortatu: tunc Vrbe relicta
Hispanus pergit sperata in prælia miles,

D Pul-

Pulchra cohors, geminiq; duces, quos fida crearat
Hesperia, & pueros Martis mandarat alendos.
Ibant effusi campis, & passibus aquis
Maturoq; gradu, cum vox ea fertur ad aures:
O decus Hesperia, qua vos huc numina ducunt
Per varios adytus, eadem nunc omine dextro
Accellerare iubent, cæptaq; occurrere pugna.
Stant acies se se imparibus minitantia telis:
Fata vocant, monstrate fidem, & vos iungite vestris.
Ac si quis missus Diuorum à Rege minister,
Siue aliquod monuit Luso venerabile numen,
Attoniti hac hausere duces, & castra citato
Impellunt gressu, superantq; aduersa viarum
Terribiles, fidis exploratoribus acti.
Ergo adsunt socijs, opportunèq; salutant
Ductorem, reliquam aciem: iamq; hoste propinquo
Fonsecca insidias versans: super arma quieti
State, inquit, iuuat occulta in conualle latere:
Insperato hostis vulnus patiatur ab hoste.
Hac inter, ruit Alphonsus medios; coruscat
Agmine, qualis, aquas per saxa sonantia torquens
Oceanum in magnum Durius pater impete currit.
Multa minans se se medios proiecit in hostes:
Cum paucis rem credit agi, nec numina votis
Sollicitat, numero tantum maiore superbus.

Ab

Ah rudis! ah malè caute! tua experire ruina
Quantū animus queat, & verum prudentia suadens!
Heu nescis miser, heu nescis, quas Martia voluant
Insidias bella, & sauis labyrinthus in armis.
Dum pergit, paucamq; aciem petit, ecce tumultu
Magno arbusta sonant, insperataq; resurgunt
A tergo turma, & tela, heus, deponite, clamant:
Iam tempus cessare armis; At talia miles
Hyspanus videt, & tumidam magis excitat iram
Exosus scelus indignum: tunc Mulciber altum
Intonuit, miseriq; animo cecidere relicto
Diuersi hac, illac, diuerso vulnere fixi,
In diuersa cadunt: cruor vndiq, & vndiq; clamor,
Captorumq; sonant fletus, gemitusq; cadentum.
Hic Syluecus raptum letho indignatus Amyntham,
Quem simul in lato nutritum culmine Luna
Sors eadem in bellum, eadem fortuna trahebat,
Hyspanos ruit in cuneos, perq; agmina vindex
Ductorem vocat, & solum in certamina quærit.
Audierat Dux, & campo se se arduus infert,
Iamq; hostem venientem, animisq; procacibus ausum
Corripuit celer, & ceruici feruidus hæsit
Exclamans: I nunc tumide, & confide furori,
En nimiùm citò te priscus vigor ille reliquit,
Nunc volucrum cibus, & tumuli sine honore iacebis.

Ah miser, & quanti tibi sint hæc prælia noris:
Præstat apud miseros, si qua extat gloria manes,
Ductoris dextra cecidisse: hac accipe de te
Hoc solamen erit. Dixit iamiamq; paranti,
Et verbis tentare preces, & tendere palmas
Offensus vocem, vocisq; foramina rumpit;
Voluitur infelix letho super arma, vómitq;
Sanguineum moriens flumen, ter tollere se se
Conatus, ter fronte solum percussit, & imo
Singultumque, animamq; simul de pectore fudit.
Ergo alijs, alijsq; super perijt comitatus:
Namq; vt densa volat Vulcani viribus acta
Plumbea glans, sic hostiles cumulantur acerui.
Sæuit in expletum hesperijs dux impiger armis
Chaldereon, tingitq; natantia rura cruore:
Iamq; Aruum frustra audacē, frustra ense ruentem
Intrepidus petit, & truncum post terga relinquit;
Hunc Lysias comitatur, & hasta tempora fixus
Iactatur resupinus humi, cerebrumq; per auras
Sectum in frustra volat quaq; est via vulneris albent
Ossa, reluctantisq; animæ retinacula soluit.
Nec Marcelle tuus potuisti euadere lethum
Diuitijs, cadis heu patrijs inhumatus in agris
Infelix, moriensq; micantia viscera pandis.
At Lycus, vt socios diffusos agmine vidit,

Com-

Compulsus gemitu morientum, deuius ibat
Eructans terrore animam, vix membra trahentem.
Obuius huic Chorebs Ebri propè flumina natus
Occurrit: mox quem seruabat fune praeusto
Vulcanum cinere immersum flatu excitat, ille
Dat vires, & puluereo se sulphure miscet,
Fulguraq; attollit, mixtoq; tonitrua plumbo.
Infelix cadit, atq; anima cor denegat haustus;
Cui Chorebs: nostratne manus euadere demens
Sperasti? & sine morte nefas? ergo ibis in vmbram
Inferna miseranda, & victima digna Sebasto.
Hanc miseri lugent aduersos edere cladem,
Pars truncum a ceruice caput, pars crura sodali
Secta videt, dumq; hac socy miseri lachrymantur
Corripiunt letho sese, & voluuntur arena.
Inter verba cadunt inopino vulnere caesi,
Cedit amor belli, violenta audacia cedit,
Iamq; aliqui tentare fugam, nec profuit illis:
Omnia quaeruntur, vallanturq; omnia circum.
Interea Alphonsum mortis simulacra propinqua
Perterrent, nec qua potior sententia surgat,
Occurrit: spes nulla fugae, spes nulla salutis.
Heu quid agat, vitam miser execratur, & optat,
Atq; ea dum campo miserorum funera crescunt,
Effugit tandem Caelo lux improba victis,

Et cladem miserata, vmbram deuexit amicam
Humida nox, densoq; nigris luco incubat alis.
Hic monstrata fuga via prima, & prima salutis
Spes orta est, moriente die, tunc quisq; latebras,
Quod superest solamen, adit: ceu cum lepus inter
Lustra fugit, cui turba canum latratibus instat
Insultans, iamiamq; tenet, tamen ille tenenti
Subripuit se, & pedibus, quando vltima suadent,
Fidit amans latebras, & vitam quærit in antro.
Alphonsus, quà monstrat iter pauor, effugit, & se
Immiscet nocti, & luco sine mente vagatur,
Iam melior, iam syderibus pia lumina fixus:
Este duces, ô Cœli oculi, spes si qua salutis
Restat adhuc, monstrate viam, & me cernite longis
Immersum damnis: tuq; ô qua noctis opacæ
Fers miseris donum Cœli decus aurea Phœbe,
Siste gradum, & lento bigas sine currere motu,
Dum longè miser abscedo, liceat mihi per te
Inuisum fugere aspectum, & me condere syluis.
Sic fatus, pedibus conatur credere vitam,
Dum somno locus, & taciturna occasio noctis.
Postquam acie effusâ ducibus victoria cessit,
Et tenebra irato iussere silentia Marti
Nocte fugam victi, victores nocte quietem
Quisq; suo incubuit studio, pars quærere sedem

Tutam inter rupes, humenti umbracula Cœlo:
Pars durata Ioue obscura sub nocte pruinam
Expectat campo in medio, quà frigidus errat
Amnis, & exiguo serpit per prata susurro.
At Fonsecca ingens ductore ingentior omni,
Postquam animi optato sitis est expleta triumpho,
Certatumq; diu, socijs statione relictis,
Fonte domare sitim, & gelidis se immergere lymphis
Quærit: adest pulcher natus comes, omnibus ille
Mauors arma gerens, ad aperta fronte Cupido
Apparet, tantus nitido decor ardet in ore.
Ergo inter se se fidis sermonibus ibant
Dispersi luco in magno, quà densa sonabant
Arbusta, & tremulam mittebat Cynthia lucem.
Cum pater, O nobis si nunc pia numina fontem
Ostendant, tantoq; velint obsistere labori.
Dum fatur, vidit pauca inter lumina Lunæ
Speluncam, sylua in media, quam frondibus ambit
Palmiferum nemus, & ducibus gratissima laurus.
Fonseccam longè hinc ter vox audita vocare,
Ter voluit Fonsecca, seq; oculos arduus offert
Apprehensa nati dextra, scopuloq; propinquat.
Saxum ingens noctem primis in faucibus atram
Inuoluens, mixtumq; Chaos, speluncaq; Phœbi
Nunquam experta iubar, Lybicis domus apta leænis.

Mox

Mox ubi defessis tetigerunt limina plantis,
Impauidi paulum ingressi tellure sub ima,
Affulget specus, & nimium dant saxa nitorem
latebras, siue hoc lapidum natura ministret,
Siue æterna causis ferueantur lumina saxis,
Circæis cantata modis, nox exul ab antro
Exclusa est, splendorq; nitet sine sole diurnus.
Huc ubi deuenêre, vident ad limina primum
Ossa super semesa duos recubare dracones,
Et fremitu terrere locum: laquearibus altis
Pendent vota ducum, & spolia seruantur opima,
Lorica, clypeusque, et pendentis pondera baltei,
Arma armis erepta, hostisq; ex hoste trophæum:
Gradiuo patri sedes sacra. Ergo per antrum
Attoniti, qua incerta viam dant fata, sequuntur.
Ingressus, simul ac Templi custodia sensit,
Attollit latè fremitus, & vincla recusat
Impatiens, ac docta loci, cui cura Sacerdos:
Vt venit, virgaq; caput percussit vtrumque,
Sternuntur subito mansueti, iramq; coercent
Nutricem venerati, & amant parere dracones.
Nunc Erato grauiore tuba, grauiora canamus,
Summus adest labor, & summis primordia rebus.
Magna vocant, te magna vocant, en sydera Regni
Ingentes heroas habes, quos gestit habere

F

Erigone socios, & magni sydus Iulij.
Intereà dextram Fonsecca apprensa Sacerdos
Pergit iter, ponè obseruat vestigia natus.
Mirantur magnas ædes, & nixa columnis
Atria, dalmaticum tectis radiare metallum.
Astant parietibus bellorum insignia, & auro
Cœlati, qui prima tenent cunabula Solis,
Docti ferre iugum, & loro parere coacti.
Cernere erat solio reliquis sublimior aureo
Gamma ingens domitor Neptuni, hic arma iacebant,
Et populi postrati alio sub Sole calentes.
Hic Gangem nequicquam acies, & bella frementem
Centū vincla premunt, centū secum attrahit Vrbes.
Miratur, turres liquidis assurgere in vndis,
Oceanus, tantaq; gemit sub pondere classis.
Parte alia Austriacus, Cœli gratissima cura,
Ioannes, secumq; noui miracula mundi
Fert victor terrarum: illi quoq; Cypria Regna
Dant in vincla manus, & sanctis legibus vltro
Se se aptant: hic & galeas, & scuta Lepantus
Sanguineus, Regumq; effusa cadauera voluit.
Mille alias, & mille alias mirabere gentes,
Vt trepident, victæq; metu se montibus altis
Dispergant, quales syluis si ingentibus agni
Amisere ducem, sine lege, sine ordine currunt,
Hac

Hac valles petit, illa procul de culmine pendet.
Talia dum Fonsecca oculis sitientibus haurit
Miratus, nunquamq; satur, cupit illa tuendo
Expleri [illegible]*sitiam, quod diuidit omnia tempus,*
At [illegible] *hinc magna rerum plus parte relicta.*
Ergo ingressi omnes aula ulteriore fruuntur,
Quà circum cœlata auro, solidoq; adamanto
Fulgent facta Ducum nullis pereuntia seclis.
In medio stat fama loco sublimis in alto
Peruigil, & pandis ascendere nititur alis,
Inflatura tubam, fontem super; ergo manebit
Fons siccus, letho quem redder fama perennem,
Hæc secum tacitus versabat ductor, & imo
Corde memor veterum traxit suspiria patrum,
Quos ille admirans cœlato agnouit in ære
Hostili immixtos ferro; Cui docta Sacerdos,
Euge hospes lachrymis manes fœdare tuorum
Parce tuis: viuunt, & sacra luce fruuntur:
Nec tu vana puta fictis simulacra figuris:
Martis templa vides, hic centum altaria, centum
Fumant thura focis, soli hac ad limina fortes
Consistunt, soliq; duces hæc templa frequentant.
Dixerat hæc, tandemq; illum per singula ducit
Fonseccæq; genus, generisq; insignia pandit.
Aspicis hæc quacunq; oculos effundere fas est,

Omnia

Omnia Mauòrti ſacrum genu
Fonſeccas, fontem vnde tibi m
Ecce prior Iacobus adeſt, qu
Ingenti virtute refers: illum opi
Ardebat dominum, illum nunc ſuſpira
Non nè vides quanta Hyſpano ſe milite campis
Agglomerant acies, Taurumq; occurrere contra
Conantem, qua Iacobus dux, fulminis instar
Tela intermicat, & felicibus eripit armis
Tauri colla iugo; Nec te tua cura fefellit
Fonſeccæ decus, & magna pars maxima [illegible]
Antonj: heu quant [illegible]
Quantum ar
Pallet adhuc
Maurus equ
Diſce ergo hi
At ductor (mira
Quis procul ille rates
Sanguineus, tingitq;
Armis . . . . . .

apsus, eo ipso excusatio-
ttur, quæ alias commit-
nisi Aristarchi iudicio su-
beneuoli lectoris partes absoluit,
i, rigida Censoris virga proiecta, æquo
nimo cuncta perpendit. Huius opusculi
codex, iam aliqua ex parte consumptus, cœperat temporis iniurias experiri, cui omnia cedunt. Id hilari, qua offertur, fronte, suscipito, viuasq; felix.

